

„ditoris, ſuſtulſſe.“ Nicolaum ſequuti ſunt ejus ſucceſſores, ipſam regulam ſine proœmio promulgantes, qualiter & hodie inter regulas Cancellariæ exiſtat.

Interim ſat convenit, eam editam eſſe ad obviandum fraudibus & cupidæ ambitioni eorum, qui Ordinarios prævenire fatigantes, beneficiorum collationem, etiam necdum mortuis eorum poſſeſſoribus, impetrare quavis arte moliebantur: unde teſte Gomeſio loco citato *Quæſt.* 1. convenit inter Doctores, Regulam factam fuiſſe ad obviandum fraudibus, quæ fiebant in Curia ad præveniendum Ordinarios.

VII. Quamvis Regulæ huic detractum fuerit proœmium, nihil tamen circa ipſum corpus regulæ mutatum unquam fuiſſe monet idem Gomeſius, nulluſq; Pontificum (ait) verbum aliquod addidit vel mutavit ad regulam Nicolai, ſed *integra* manſit uſq; in hodiernum diem, cum tamen alia regulæ aliquam receperint mutationem. Neq; à tempore Gomeſii uſq; ad hæc noſtra ullam mutationem accepſiſſe ſcimus.

VIII. Regula exprimitur his verbis: Item voluit & ordinavit, quod omnes gratiæ, quas de quibuſvis beneficiis Eccleſiaſticis, cum cura, vel ſine cura, ſecularibus vel regularibus, per obitum quarumcumque perſonarum vacantibus, in antea fecerit, nullius roboris, vel momenti ſint, niſi poſt obitum, & ante datam gratiarum hujusmodi, tantum tempus effluxerit, quod interim vacationes ipſæ de loco, in quibus perſonæ prædictæ deceſſerint ad notitiam ejuſdem D. N. veriſimiliter potuerint perveniſſe.

IX. Hæc regula teſte Rebuffo in Praxi Benef. parte 1. tit. De Reform. Bullæ Gloſſa 1. fuit recepta & regiſtrata in Parlamento Parifiensi anno 1493, 20. Novembris. & ubiq; in regno Franciæ recepta, & in forenſi judicio ad unguem ſervatur, eſq; lex regni effecta, adeo quod ſicut Imperator legem (ut dicunt) canonifatam & à Capitulis approbatam non poteſt revocare: licet eam legem ex libro tollat. Sic nec Papa regulam incorporatam & deſcriptam in regiſtris Curiæ, etiam ſi tollat illam, nam eo caſu ſervabitur tamquam lex regni, non tamquam Papæ regula.

X. Deinde notat, quod ex viſceribus juris ſit extracta maximè ex Cap. 2. De conceſſ. Prab. non vacantibus ubi beneficia antequam vacent non debent impetrari, & niſi vacatio pervenerit ad notitiam conferentis, vel pervenire potuerit: nam collatio quæ non eſt veriſimilis, non eſt credibilis, nec facta creditur.

XI. Imò etiam ſi aliquis probare vellet, ſe per modum aliquem extraordinarium, & pluſquam humanum aut veriſimilem iter in Urbem abſolvifſe, probatio ejus non admittetur, ait Rebuffus n. 15. quia tantummodo veriſimile admittetur, videlicet quod eques cursor Romanam potuit ire ſex diebus ex Lutetia, vel ex Lugduno quinque hoc recipietur. Ex Tholoſa autem octo, vel ſeptem: diſtinguenda autem ſunt tempora, ætatis videlicet & hiemis: in Legato tamen inſpicitur, an equi celeres eſſent deſignati ad illum locum, in quo ipſe debebat, & ex loco in quo obiit Beneficiarius: & tunc cursor velox recipietur, alioqui non, unde in praxi vulgo ſolet dici, *ſ' il y a poſtes assignees* ut quantum poſſunt celeriter currere: alioqui per dietas computabitur.

XII. Et Chokier ait, tempus veriſimilis notitiæ Leodio Romam eſſe novem dierum, Rota tum ſæpius, tum noviffimè in una Bullarum resignationis Canoniceatûs S. Pauli de anno 1619. decidit.

Antiquus autem Gloſſographus quem ſequitur Chokier, rectè monet, veriſimile illud relinqui arbitrio Judicis; qui ex locorum diſtantia, die obituſ aliiſque circumſtantiis determinet, an tantum tempus effluxerit ab obitu Beneficiarii uſq; ad datam provisionem, quod interim vacationes ipſæ de loco in quo beneficiatus deceſſit, ad notitiam Pontificis veriſimiliter potuerint perveniſſe.

XIII. Regula etiam procedit, tametiſi motu proprio gratia facta eſſet, ait Rebuffus Gloſſa 2. n. 2. tum ut eviteatur fraus, quæ fieret apponendo hanc clauſulam; tum etiam quia hæc clauſula non tollit ambitionem impetrantis, nec votum captandæ mortis.

Et ita jam pridem judicatum fuiſſe in Rota Romana teſtatur Gomeſius ad hanc Regulam *quæſt.* 2.

XIV. Quinimò licet tempus ſufficiens effluxiſſet inter datam provisionis & obitum Beneficiarii, ut notitia veriſimilis vacationis haberi potuiſſet, nulla tamen erit provisionis, ſi probetur curſorem ante obitum Beneficiarii diſceſſiſſe; quod dici ſolet *curſus ambitioſus*; uti monet Claudius Fleuri in Inſtit. Juris Canonici libr. 2. cap. 21.

XV. Quamvis hæc tegula nominatim non loquatur de Dignitatibus, & ſub nomine Beneficii etiam generaliter expreſſiſſe Dignitates comprehendere non ſoleant, tamen & in his regulam locum habere rectè notat Rebuffus Gloſſa 3. tum quod ratio deciſionis in his locum habeat, tum præcipue, quia regula hæc naturali æquitate & honeſtati innixa & ad vitandas fraudes inducta, favorabilis eſt reputanda. In favorabilibus autem nomine Beneficii generaliter expreſſi, prout in hac regula per particulam *quibusvis*, veniunt dignitates.

XVI. Ad hæc licet Regula hæc tantum loquatur nominatim de provisione Papæ; ob naturalem tamen æquitatem & honeſtatem, extenſa eſt non tantum ad Legatum Papæ; ſed etiam ad Ordinarios Collatores: prout in Gallia obſervari poſt Rebuffum alioſque teſtatur Carolus Fevretius in tract. De Abusu libr. 2. cap. 7. numer. 5.

XVII. Favor ejuſdem regulæ, ipſaque naturalis ratio cui inniunt, efficiunt, ut in Gallia hujus regulæ derogationem non admittant, atque ab ea derogatione appellationem tamquam ab uſu recipiant; ut poſt Rebuffum ibidem reſert Fevretius. Si tamen proviſio facta ſit in vim procuratorii ad reſignandum; & Reſignans mortuus fuerit antequam proviſio eſſet expedita; ſi adjecta fuerit clauſula, *etiamſi PER OBITUM vacet*; & Papa huic regulæ derogaverit, admittitur derogatio; valebitque proviſio licet ipſo die expeditæ provisionis Reſignans fuiſſet mortuus; & conſequenter veriſimilis notitia de morte Reſignantis in Curia non haberetur: quia (ait Rebuffus Gloſſa 4.) juſta fuit arripio itineris ante mortem, cum haberet procuratorium ad reſignandum, & ita (ait) ſervamus in Regno, dummodo à tempore mandati ſeu procuratorii veriſimiliter potuerit Curſor accedere ad Curiam. Id tamen limitandum, niſi fraus aliqua ſubefſe probetur; uti obſervat Rebuffus ad Concordata De Mandatis Apoſtolicis §. Declarantes verbo *jure præventionis*.

XVIII. Quamvis Regula hæc fraudibus & ambitioni de captandis & ſollicitandis beneficiis vivorum occurrere voluerit, nequaquam tamen auctoritatem Pontificis in præveniendo ſeu concurrente cum Ordinariis in provisione beneficiorum imminuere ullatenus intendit: manſitque jus hoc ſemper Sedi Apoſtolicæ ſalvum.

XIX. Illud quoque notandum, quod licet per hæc præventiones videatur aliquo modo imminui jus collationis Ordinariorum, tamen hæc præventiones minus odioſas eſſe, quàm expectativas, quibus non de vacantibus beneficiis providebatur, ſed *vacatura* promittebantur: cum Pontifex utendo præventionem, beneficia *vacantia* dumtaxat conferat: atque ipſis Ordinariis ut minus æquale ſecum jus conferendi relinquat.

XX. Quare Synodus Baſilienſis ſollicita reſtituere jura Ordinariorum, præſertim circa collationem beneficiorum atque eum in ſinem omnes *expectativas* ad beneficia *vacatura* abrogans, nihilominus hoc jus præventionis Pontifici nominatim reſervavit *ſeſſ.* 3. art. 2. ubi

ubi poſt abrogationem expectatarum ſubiicit: *Neque etiam collationes per præventionem fiendas intendit impedire.*

XXI. Clerus tamen Gallicanus in Conventu Bituricensi eam clauſulam Concilii Baſilienſis non approbavit, reſolvitq; Patribus Concilii proponendum, ut eam revocarent; aut ſaltem declararent; Ordinariis Collatoribus manere ſalvum tempus ſex menſium, iis à Concilio Lateranenſi ſub Alexandro III. conceſſum; intra quod ſi non contulerint, merito ob eorum negligentiam Superior vel jure præventionis, vel devolutionis ſupplere poterit.

XXII. Idipſum à Germanis, ſaltem nonnullis optatum fuiſſe, evincit quod legitur in Synodo Friſingenſi anno 1440. *Can.* 25. *Supplicetur ſacro Concilio (Baſilienſi) ut declaret* dignetur, quod vigore horum Decretorum non teneat tollere inferioribus Collatoribus Ordinariis tempus Lateranenſis Concilii, quodque ante ipſius lapſum non habeat locum præventio.

XXIII. Non legitur, Concilium Baſilienſe occasione harum ſupplicationum Decretum ſuum renovaſſe, aut limitariſſe, vel expoſuiſſe; ſed jus integrum præventionis Sedi Apoſtolicæ reliquit; adeoque, uti paſſim notant Canoniſtæ, poteſt Pontifex, etiam in menſibus ordinariis ipſos Collatores prævenire.

XXIV. Nihilominus, uti notat Gonzales ad Regulam 8. Cancellariæ §. 4. *Proœm.* non paſſim hujusmodi provisiones facere vult, nec intendit, ut minus de illo Epifcopo conqueri valeant. Quod profectò valde laudabile (ait) ac ſua urbanitate & liberalitate dignum. Quia ut dixit textus in *Can. pervenit cauſ.* 11. qu. 1. *Si quæ unicuique Epifcopo juris, licet non ſervatur, quod aliud agitur, niſi ut per nos, & quos Eccleſiaſticis cuſtodiri ille ordo debuit, conſervetur.* Hæc ille; qui pluribus ibidem oſtendit, quod quamvis de jure Pontifex prævenire Ordinarios poſſit, non tamen ſit honeſtum quod aliis auferat poteſtatem: quodque ex hoc non uſu evitentur non modica inconſequentia.

XXV. Imò teſte Joanne Chokier in proœmio Regulæ octavæ n. 17. *hodie numquam* confert Papa per præventionem, debetque Datus reſpondere: *Adeat Ordinarius.* Quod ut obſervetur iis in partibus, ubi inter Sedem Apoſtolicam & Ordinarios mentes diviſi ſunt; atque ipſa Sedes Apoſtolica reſervando ſibi ſex vel octo menſes, reliquos Ordinariis liberos dimittit, valde juſtum eſt. Per illam quippe menſium diviſionem tacitè quodammodo Pontifex Ordinariis addiſſe videtur, quod jus conferendi iis in menſibus liberum ipſis maneret.

Hinc in Belgio, ubi hæc menſium diviſio ſtabilita eſt, præventionum uſus exolevit; neque ulla in menſibus Ordinariorum proviſio Apoſtolica jure præventionis unquam expeditur: quare nec Regula De Veriſimilis notitia hic penè nota eſt.

XXVI. At in Gallia per Concordata inter Leonem X. & Franciſcum I. jus præventionis Pontifici expreſſè reſervatur titulo De Mandatis Apoſtolicis his verbis: *Declarantes. nos & ſucceſſores noſtros jure præventionis Dignitates, Perſonatus, Administrationes, & Officia, cæteraq; Beneficia Eccleſiaſtica, ſecularia, & quorumvis Ordinum Regularia, quæcumque & quomodoque qualificata, tam in menſibus graduatis, ſimplicibus & nominatis, quam ordinariis Collatoribus præſatis assignatis vacantia, ac etiam ſub dictis mandatis comprehenſa, liberè conferre.*

XXVII. Hic unus fuit ex articularis, qui receptionem Concordatorum præcipue retardavit, ipſaque oppoſitiones, tum ex parte Parlamenti Parifiensis, tum Cleri & Univerſitatis formarunt; quæ latius referuntur in hiſtoria Concordatorum, quin & frequentium querelarum occasione hic articulus ſubmittitrat.

Van Eſpen *Jur. Eccl. P. II.*

XXVIII. Legitur datum fuiſſe in mandatis Legatis Regis Galliæ anno 1547. ut Patribus Tridentinis inter alia exponerent, quod præventiones, quas Papa vi Concordati in Regno Galliæ facit, ſint contrariæ Concilio Lateranenſi; quodque dictæ præventiones pariant magnam confuſionem in regno; quod Collatores Ordinarii per eas fruſtrentur ſuo jure.

XXIX. Idipſum injunctum fuit Ferrerio Regis Chriſtianiffimi Oratori & Legato ad Papam Pium IV. anno 1561. idque ad querelas quas Regi fecerant Ordines generales Regni ſuper hoc articulo præventionum; quemadmodum videre eſt in probationibus libertatum Eccleſiæ Gall. c. 22. n. 34. ubi n. 35. ſubneſcitur diſcurſus quem ſuper hoc articulo coram Pontifice habuit ipſe Ferrerius, in quo poſſimum urget Decretum Concilii Lateranenſis ſub Innocentio III. quo Collatoribus datur facultas dignandi Beneficia, idq; intra ſex menſes, quo illis (ait) liceret de vita & moribus ordinandi diutius deliberare. Quam collationem niſi intra id tempus feciſſent, conferendi poteſtatem proximo ſuperiori deferri, & gradatim Romano Pontifici: hujus conſtitutionis fuiſſe favorem, ut quamquam diurna beneficiorum vacatio eſſet Canonibus exoſa, illud tamen ſemeltre non curtere niſi Prælato ſcienti beneficii vacationem. Quod ſi præventionibus locus eſt, vix eſſe ut ſupervacanea non ſit non ſolum hæc Concilii Lateranenſis temporis definitio & gradatio, ſed etiam & Antiochenum Aurelianenſe Concilium quibus definitum eſt, Epifcopo, cui totius Diœceſis animæ committantur, relinquendas eſſe beneficiorum collationes.

Hæc aliaque ibidem à Ferrerio nomine Regis & Ordinum Regni Gallicani Pontifici expoſita, ſat evincunt, quàm ægrè hæc præventiones tulerint Galliæ Procereſ; quod & manifeſtum ſit ex Ediſto Aurelianenſi art. 12. quo interdicitur omnibus judicibus Regni Galliæ, ullam in judicando poſſeſſorio beneficiorum rationem habere provisionum, quæ obtentæ eſſent per præventionem, idque ſub pœna privationis ſuorum officiorum; nec poſſunt impetrantes hujusmodi provisionibus uti ſine licentia Regis.

XXX. Meminit hujus ediſti etiam Carolus Fevretius Tractatu de Abusu libr. 2. cap. 7. n. 3. unà monens, Carolum IX. Regem Galliæ ad requiſitionem Cardinalis Ferrerianſis Legati Apoſtolicæ in Gallia dediſſe declarationem 10. Jan. 1562. quæ hic articulus, quantum ad præventiones Pontificias, fuit revocatus.

Itaque poſt hanc declarationem uſque in hodiernum diem ſalvum manet jus præventionis in Provinciis Regni Galliæ Concordatis utentibus; quantum vis illud odioſum eſſe, & in favorem Ordinariorum reſtingendum credant.

XXXI. Hinc imprimis ſtatuunt, quod ſi dubium ſit, quis prius contulerit, an Papa, an Ordinarius, præferendam eſſe collationem Ordinarii, contra deciſionem *Cap. ſi a Sede De Prab. in 6.* quam in hoc caſu dicunt non obſervari: quia Ordinarius confert *jure ordinario* & *primiſſivo*: & quia Papa tantum habet jus præventionis, debet oſtendi, Papam *prævenſe* Ordinarium; quod ubi non oſtenditur, manet collatio Ordinarii facta *jure proprio & ordinario.* Vide Gaſtellum in ſæpius citata Praxi Curie Romanæ pag. 274. & notam Gulielmi Noyer ibi ſubjectam.

XXXII. Deinde nullam præventionem admittunt in beneficiis Juris Patronatus laici: Patroni enim laici in Francia numquam ſubjecerunt colla præventionibus, ait Fevretius *numer.* 7. & quantum ad reſcripta Pontificia, etiam in cauſa permutationis, ſi quando derogatum voluerint Juri Patronatus laicalis live per præventionem, totum fuit caſſatum, & revocatum tamquam abuſivum; ita Fevretius *numer.* 7. Quod & in Hiſpania

Ggg reli-



religioſiſſimè ſervari teſtatur Covarruvias *Pract. Quaſt. cap. 36.* „ ubi Patrono laico licet conqueri, de tacita „ vel expreſſa derogatione, ſicut apud Gallos.

Tameñi textus Concordatorum quæcumque Beneficia, etiam Dignitates generatim exprimat, nihilominus non credunt, comprehendi Dignitates electivas titulo *fundationis præſertim laicalis*, uti obſervat Fevretius loco citato *numer. 6.* ibidem unâ aſſerens, hodie paſſim judicari, Dignitates omnes, etiam *electivas confirmativas*, ſed alio titulo quam *fundationis*, ſubjectas eſſe juri *præventionis*; quamvis aliquando de eo dubitatum fuiſſet.

XXXIII. Præventio demum locum habet, ſi proviſio Pontificia facta fuerit *rebus integris*; hoc eſt needum à Collatore Ordinatio incepto negotio collationis. Si enim Canonice inſtitutionis fines vel leviſſimè attingerit, quamvis ad exitum non perduxerit, tamen *rebus integris* non amplius extantibus, collationi Pontificæ nullus locus dabitur. Ita Pinſonius De Benef. tit. De Canonice Inſtitutionum conditionibus §. 10. num. 2.

XXXIV. Res autem non cenſetur integra quando quoquo modo negotium inchoatum eſt, non tantum per actum aliquem eſſentialem, ſed etiam ſolum præparatorium; v. g. per *pulſum campanæ* ad congregandum

Capitulum pro electione; aut etiam ad deliberandum de forma, aut die electionis faciendæ; aliumve actum, quo, electores, Collatores aut Patroni oſtenderunt, ſe non fuiſſe in defectu utendi ſuo jure; ait Brodæus ad Lovetium *Litt. P. n. 25.* atque ita judicatum fuiſſe teſtatur, *præventionem* locum non fuiſſe, eo quod præviè ad proviſionem Apoſtolicam actum fuiſſet in Capitulo de electione faciendâ.

XXXV. Aliud eſſet (ait ibidem Brodæus) ſi Capitulum Sede vacante deſiſſet tantummodo deſervituram alicujus Eccleſiæ Parochialis vacantis *donec provideatur per futurum Episcopum.*

XXXVI. Cum enim hic actus non fuerit expeditus per collatorem; neque concernat ipſum *titulum*, impeditur nequit præventionem Papæ: cum reſpectu tituli res manſerit integra.

XXXVII. Quinimò collatio aut actus proviſionis etiam *nulliter & invalidè* factus per Ordinariū aliquando conſtituit rem non integram; ipſamque præventionem impedit; ut ſi Ordinarius contulerit non Graduato in mente Graduatis affecto.

XXXVIII. Collatio quidem nulla eſt in favorem Graduati ſe opponentis; ſed tamen præventionem impedit; uti docet poſt alios citatos Fevretius loco citato.

## TITULUS XXIV.

### De Proviſione Apoſtolica.

#### CAPUT I.

De Proviſione in forma *dignum*, & in forma *gratioſa*.

1. Proviſio in forma *dignum* unde ſic dicta.
2. Per hanc proviſio proprie non ſit per Papam; ſed per Ordinarium.
3. Ante obtentam collationem ab Ordinario Proviſus nullum habet titulum.
4. Non poteſt Beneficium reſignare ante habitam ab Ordinario proviſionem.
5. Neque capere poſſeſſionem.
6. Ordinario recuſante litteras proviſionis, ad quem recurrendum?
7. Forma *dignum* alia antiqua, alia noviffima.
8. Quid circa has formulas habeat hodierna praxis, præcipue in Gallia.
9. Formula litterarum proviſionis ſeu viſa per Ordinarium.
10. Examine peracto quomodo Ordinarius conferat.
11. Ordinarius hic cenſetur Episcopus Beneficii.
12. Proviſio in forma *dignum* alteri directâ in Gallia non recipitur; niſi ob cauſam.
13. Examen alteri per Ordinarium delegari poteſt.
14. Episcopi merito perſonaliter examini interſunt.
15. Ratio inducta huius formula.
16. Quando Papa ſufficienter eſt inſtructus de capacitate Supplicantis ſit proviſio in forma *gratioſa*.
17. Proviſio in hac forma eſt proprie proviſio Apoſtolica.
18. Forma Signatura in hac formula.
19. Hac proviſio dirigetur ad ipſum Supplicantem; cui & inſcribitur tamquam Beneficiario.
20. Formula inſcriptionis.
21. Tenor proviſionis.
22. De executeore huius proviſionis.
23. Hodie quoad Beneficia præſertim curata non ſolet dari proviſio in forma *gratioſa*; & quare.
24. Quoad Beneficia ſimplicia frequentior eſt proviſio in forma *gratioſa*.

**R**eſcripta ſive proviſiones Apoſtolicæ aliquando expediuntur juxta hodiernū ſtylum Curie Romanæ in forma *gratioſa*; aliquando autem & quidem frequentius, ſaltem quoad proviſiones de Beneficiis Curatis in forma *dignum*.

Vocatur autem proviſio hæc in forma *dignum* à primis verbis Bullæ, quæ *dignam arbitramur*.

II. Verum, uti rectè notant Canonice, quando proviſio expeditur in forma *dignum*, tunc proprie de beneficio non providet Papa; ſed potius ipſi Ordinario vel Executeori providere mandat; quare non immeritò hujusmodi proviſio dici poſſet, *mandatum de providendo*.

In hac enim proviſione, remittit ſupplicantem ad Ordinarium, ut ſupplanti de beneficio provideat, ſi modo prævio examine eum idoneum repererit, ſub hac clauſula: „ Mandamus quatenus ſi poſt diligentem examinationem dictum N. ad obtinendum beneficium N. idoneum eſſe repereris, ſuper quo conſcientiam tuam oſtendimus, eidem N. dictum beneficium auctoritate Apoſtolicâ conferas.

III. Evidens hinc eſt, proviſionem ſeu collationem beneficii non haberi immediatè à Pontifice; ſed eam obtineri debere ab Ordinario: ipſumque ſupplanti ante obtentam ab Ordinario collationem, nullum adhuc titulum beneficii habere.

IV. Unde ſi Reſignatarius obtinuerit proviſionem in forma *dignum*, non poterit ante obtentam collationem ab Ordinario, ſuum beneficium alicui reſignare, uti poſt Flaminium Pariſium De Reſignat. Beneficiorum *lib. 3. q. 1. n. 149.* monet Carolus Fevretius tract. De Abusu *lib. 3. cap. 4. num. 12.*

V. Refert quoque ibidem Fevretius, jam pridem Regiis Edictis cautum eſſe, quod non poſſit capi poſſeſſio beneficii vigore proviſionis in forma *dignum* ante obtentam litteras Ordinarii, quas vulgò *Viſa* appellat, quæ ipſam collationem continent.

VI. Si Ordinarius ſimpliciter recuſet litteras proviſionis ſive *Viſa*, jam pridem dubitatum fuit, ad quem

quem haberi deberet recurſus. Et quandoquidem Ordinarius hic videatur procedere auctoritate Apoſtolicâ, viſum fuit nonnullis, ad Sedem Apoſtolicam pro novo Executeore recurrendum eſſe. Verum cum hic de functione Hierarchicâ, nimirum examine ſuper capacitate ad beneficium agatur, aliis viſum fuit, rationi, & conſervationi Hierarchicæ ſubordinationis congruentius eſſe, ut gradatim ad immediatos Superiores appellari deberet; & ita in Gallia obtinere, & variis Regiis Edictis cautum eſſe, teſtatur poſt alios Fevretius loco citato; & latius videri poteſt in actis Cleri Gallicani: quod tamen in Patria juris ſcripti, ſive obedientiæ aliter obſervari notat Perardus Gaſtellus in Praxi Curie Romanæ *pag. 252.* aſſeritque ibidem ſemper recurri ad Episcopum *viciniorem*, uti ex ſtylo Curie Romanæ præſcribitur in forma *dignum noviffima*.

VII. Forma hæc tenus deſcripta hodie ex ſtylo Curie Romanæ vocari ſolet, *Forma dignum antiqua* ad diſtinctionem alterius formæ recentè introductæ vocatur *Forma dignum noviffima*; quæ expediuntur proviſiones de Beneficiis *reſervatis* Sedi Apoſtolicæ; præſtituuntur Executeori 30. dies intra quos proviſionem facere tenetur; alias ad *viciniorem* Suffraganeum recurrendi facultas conceditur.

VIII. Obſervat quoque ibidem Gaſtellus, nullam eſſe diſtinctionem apud Gallos, inter proviſionem in forma *dignum antiqua* & formam *dignum noviffima*; quamvis juxta ſtylum Curie Romanæ non una inter utramque formulam diſtinctionem intercedat; quam paucis hic exhibet Gaſtellus; & latius formulæ formæ *dignum noviffima* prolatis & conſtit. 2. *Cogit nos Pii V. Flaminii Patiius* De reſignat. benef. *lib. 8. q. 7. num. 197.* Quamvis omnis proviſio Beneficiorum reſervatorum, item quæ ſit vigore reſignationis in Curia R. ſoleat expediti in forma *dignum noviffima*, nihilominus in patria conſuetudinaria ſemper proceditur ac ſi expedita eſſet in forma *dignum antiqua*, & in terris juris ſcripti ſeu obedientiæ ac ſi eſſet expedita in forma *dignum noviffima*; etiam ſi eſſet revera in forma *dignum antiqua*.

IX. Formulam litterarum proviſionis ſeu *Viſa* expeditam per Episcopum vigore Signaturæ in forma *dignum* ſibi oblata, exhibet Claudius Horrii in novo tractatu de materiis Eccleſiaſticis *pag. 437.* edit. 1695. & alteram expeditam per Vicarium Episcopi *pag. 439.*

X. Poſtquam enim examine facto, Ordinarius Supplicantem reperit idoneum, tunc quaſi conditione impleta ad proviſionem auctoritate Apoſtolicâ procedit, ipſumque beneficium ei conferit hac formulâ: *Auctoritate Apoſtolicâ conferimus, & de illo etiam providemus.*

XI. Ordinarius hic reputandus eſt Episcopus ſive Vicarius generalis loci in quo beneficium ſitum eſt, tamen eſt etiam ipſum beneficium eſſet unitum Monasterio aut Capitulo exempto; quemadmodum poſt Rebuffum, & Philippum Probum notat Fevretius De Abusu *lib. 3. cap. 4. num. 14.* Quia maximè intereſt Ordinarii ſeu Episcopi, ut ad beneficia, præſertim Curata in ſua Diœceſi nemo admittatur, niſi quem ipſe prævio examine idoneum judicaverit.

XII. Imò ſi proviſio in forma *dignum* alteri quam Ordinario committeretur, tamquam abuſiva rejiceretur, ait Fevretius ibidem *num. 15.* niſi tamen Ordinarius eſſet ſuſpectus, aliave juſta cauſa ſubeſſet, cur Ordinario committenda non videretur: quo caſu poſſet Ordinario neglecto, ejus Metropolitanano committi; uti eodem loco monet Fevretius, & in contradictorio judicio deciſum fuiſſe refert.

XIII. Quamvis ipſa proviſio ab Ordinario, ejuſve Vicario generalis juxta tenorem litterarum Apoſtolicarum expedienda ſit, examen tamen alteri committi poſſe communis eſt opinio, quæ & hodie invaluit, juxta *Clementinam unſcam De Officio Judicis Deleg.* ubi dicitur *Van Eſpen Jur. Eccl. P. II.*

tur, examen teſtium per Judicem Delegatum alteri poſſe committi: quamvis fatendum ſit quòd verba proviſionis Apoſtolicæ, *Si poſt examinationem idoneum reperis, ſuper quo conſcientiam tuam oſtendimus*, merito dubium ingerant, an intentio Pontificis ſit, ut alteri examen committatur; quia tamen praxis eam interpretationem admittit, ea reſervari poteſt: modò tamen talibus examè committat Ordinarius, ut eorum judicio de idoneitate Supplicantis acquieſcere poſſit; atque merito conſidat, quòd ad ipſorum relationem moralem de idoneitate certitudinem habeat. Pontifex enim ſupponit, quòd ad proviſionem non procedat, niſi poſt examinationem, eum idoneum repererit; ejus conſcientiam ſuper hoc oſtendendo.

XIV. Optandum ſane eſſet, ne levius nonnumquam quibuſvis Examinatoribus crederent; majoremque hujus examinis, præſertim ubi de Curatis Beneficiis agitur, curam haberent; ac frequentius ipſi per ſe aſſerent.

XV. Forma *dignum* inducta fuit, ut idoneis ad beneficia aditus occluderetur: unde Papa numquam dat proviſionem Beneficii niſi ſub conditione, *Si Orator idoneus reperitus fuerit*; & ideò ſi ei ignotus fuerit, committit examen & proviſionem Ordinario loci ubi Beneficium eſt ſitum; quæ proviſio hac formâ expedita ab illa commiſſione, etiam ſolet vocari in forma *commiſſoria*.

XVI. Si verò ipſe Papa præviè per teſtimonium Ordinarii ſit ſat inſtructus de capacitate Oratoris, tunc litteræ ſolent expediti in forma *gratioſa*; ſed ſine ulla commiſſione ſuper examine per Ordinarium faciendò, priuſquam proviſio obtineatur: ſed abſolutè per Papam ſit proviſio, & vigore hujus proviſionis poteſt Orator capere poſſeſſionem Beneficii ſine examine prævio, vel litteris proviſionis, ſive *viſa* ab Ordinario obtentis.

XVII. Quare proviſio in hac forma *gratioſa* expedita, eſt vera & proprie dicta proviſio Apoſtolica; ubi contra proviſio in forma *dignum* potius eſt *mandatum de providendo* directum ad ipſum Ordinarium ſive ejus Vicarium generalem; uti ſuprà notavimus.

XVIII. Forma hæc in Signatura Papæ ita ſolet concipi: *Cum expreſſione quòd dictus Orator teſtimonio Ordinarii ſui de vita, moribus & idoneitate commendatur.* Quæ expreſſione ſignificat Papa, litteras eſſe expeditas in forma *gratioſa*; nec conſequenter dirigendas aut inſcribendas Ordinario aut ejus Vicario.

XIX. Litteræ autem proviſionis in forma *gratioſa* diriguntur ad ipſum Supplicantem, cui ſemper hujusmodi litteræ inſcribuntur; quin & titulus Beneficii ipſi tribuitur: ut pote qui jam per Apoſtolicam proviſionem ipſum Beneficium habere ſupponitur. Quapropter ſi de Canoniatu agatur, ſcribitur *N. Canonico*, etiam ſi ante Canonicus non eſſet.

XX. Juxta Signaturam Papæ Bulla extenditur hoc tenore: *„ Vita & morum honeſtas aliaque laudabilia probitas & virtutum merita nos inducunt, ut ſpecialibus „ favoribus proſequamur: cum itaq; Beneficium „ &c. Si Orator ſit Doctor aut Licentiatuſ in altiori ſcientia, tunc incipit, LITTERARUM SCIENTIA, vite & morum honeſtas &c. Si nobilis, Nobilitas generis; Si Regularis, RELIGIONIS ZELUS, vite merita &c.*

XXI. Poſt hæc narratur qualitas Beneficii, modus vacationis, aliaque adduntur clauſulæ; ac dein ſit proviſio hæc formâ: *Apoſtolica ſibi auctoritate conferimus & providemus.*

XXII. Dein juxta ſtylum Curie nominatur Executeor, vel etiam plures, quatenus ipſe, vel duo aut unus eorum per ſe, vel alium vel alios, ipſum Oratorem per ſe, vel ſuum Procuratorem in corporalem poſſeſſionem auctoritate Apoſtolicâ inducant, & defendant inductum.

Hi Executeores hodie de ſtylo Curie debent eſſe in dignitate conſtituti, ſolentque eſſe Officiales Episcopi, modò ſint principales, non *foranei*; ſo quòd hi